



Fol. VI. n. 24.

DE
HADRIANI IMPERAT.
LIBRIS CATACRIANIS
DISSERIT

11

1741,7

ATQVE
AD

PANEGYRIN
BACCALAVREORVM

AD
DIEM XXIII DEC. A. R. S. MDCCXLI

IN ACROATERIO
PHILOSOPHORVM

HORA IX CELEBRANDAM
INVITAT

CHRIST. GOTTLIEB IOECHER
ACADEMIAE H. T. RECTOR

ET
ORDINIS PHILOSOPHICI
EXDECANVS.



DE
HADRIANI IMPERAT
LIBRIS CATACRANIS
DISERTISS
ATQVE
AD
PANEGYRIN
BACCALAVRORVM
IN AGRICOLA
THEOLOGORVM
HONORIS CAUSAM
CHRIST GOTTLIB JOCHER
ACADEMIAE BOSTON
GOTTINGEN
1782





Qui romanorum principum post commu-
 tatam reipublicae formam rebus gestis
 attentius cognoscendis operam dant,
 non solum primo a nata hominum salute
 seculo, imperatores longe praestantissimos, Augustos
 videlicet, Vespasianos, Titos admirantur, sed & aetuo
 his proximo tales illustri loco collocatos conspiciunt,
 qui perfectum reliquis principibus, quod imitentur
 exemplum, praebere possunt. Quos inter vnus omni-
 um eminet Hadrianus, Martis aequae ac Mineruae
 alumnus, belli non minus quam pacis artibus incly-
 tus, de republica civili rebus egregie peractis, & de
 literaria editis & magno plausu exceptis ingenii ac
 doctrinae monumentis, praeclare promeritus. In
 horum numero sunt libri catacriani, de quibus SPAR-
 TIANVS: „Catacrianos libros obscurissimos An-
 timachus imitando scripsit.“ Mala crux critico-
 rum fuerunt suntque adhuc hi libri, & quemadmo-
 dum ipsa eorum inscriptio Oedipo coniectore opus
 habet, ita quid istis complexus fuerit imperator, plu-
 rimi

a) Spartianus
 in vita Adria-
 ni caesaris, in
 Script. Histor.
 Augustae,
 edit. Lugd. B.
 1671. Vol. I.
 p. 152.

rimi se iuxta cum ignarissimis scire profitentur. (A) In diuersissimas itaque abeunt sententias. MARCELLVS DONATVS vocem a graecis deriuatam Spartanum esse mutuatum, non dubitat, nempe compositam ex *κατά*, praepositione, & *ῥησις*, quod principem significat, & *ῥῆς*, quod mens latinis est; ita quod catachricos libros scripserit Adrianus imperator, qui se optimum principem professus est, *de mente principis*, obscurissime tamen id explicans. ^b Idem putat

^b Donatus in dilucidationibus, in Gruteri Lampade T.VI. p. 1077.

DONATVS, posse exponi catachricos, hoc est contra usum. Catachresis enim idem est atque abusus, seu contra usum, ex *κατά*, quod significat contra, & *ῥησις*, id est ulus. IANVS PARRHASIVS de his libris, quoniam nonnulli codices habent catachricos, conicit, Hadrianum diras in Coelium Accianum, tutorem olim praefectumque suum effudisse, ad imitationem CALLIMACHI, a quo obscurissimis verbis Apollonium, quem Ibin vocat, esse deuotum constat; ita vt emendes: *Κατ' Ἀκκιανῶν* libros obscurissimos Callimachum imitando scripsit. ^c LILIVS GREGORIVS GYRALDVVS legendum existimat, *κατὰ Τραϊανῶν*, quasi his libris infectatus sit Traianum, me-

^c Parrhasius in Sylloge de rebus per epistolam quaestis, Sylloge IV. Ep. LXI.

^a Bayle Dictionnaire Voc. Hadrien not. O.

(A) Acutissimus BAYLIUS hoc de his libris iudicium fert: (α) „Ces livres étoient fort obscurs. Spartanien en avoit conservé le titre; mais on ne sait pas si les manuscrits l'ont conservé comme il falloit; desorte que le titre même de cet Ouvrage est un cahos & une croix pour les Critiques. Saumaïse s'est tourné de cent côtés afin d'en tirer parti; & après avoir fixé la lecture, son qu'il juge la seule bonne, il se trouve au bout de son Latin

„comme auparavant: *Solam eam esse veram* (lectionem) *mibi persuadeo: nunquam tamen explicanda sit iuxta cum ignarissimis scio.* Si cet Ouvrage d'Hadrien eût dû parvenir jusques à nous, on auroit bien eu raison de dire à l'Auteur lors qu'il y travailloit, *Vous allez*

Aux Saumaïses futurs préparer des tortures; Le seul titre les fera bouquer, les fera rendre les armes.

memoratque HERMOLAVM aliquando credidisse, scribendum esse catachlyanos, ita vt a tenebris nomen acceperint libri. Addit porro, fuisse, cum ipse legendum putasset apud Spartianum κατ' Ἀδριανῶ, quod videlicet ipse de se scripsisset: iam vero se super hac re nihil plane statuere; esse tamen, qui non ANTIMACHVM, sed CALLIMACHVM apud Spartianum legant, quod obscuris carminibus Apollonium Rhodium sit infectatus Callimachus, & non catacrianos sed catacriticos legendum putent, quasi dicas condemnatorios libros, παρὰ τὸ κατακρίων. ^d Sub examen vocat aliquas harum cogitationum CASAVBONVS, & nullam earum eiusmodi esse censet, in qua merito iudicia doctorum acquiescant, quam sententiam etiam de scaligeriana fert emendatione. ^e CLAVDIVS SALMASIVS alio se conuertit traditque, in longe vetustissimis Spartiani excerptis scripturam se reperisse, quae disertim habeat catacanas. Hanc solum esse veram sibi persuadet suspicaturque, τὰ κατὰ Κάνας scripsisse Hadrianum, & hunc operis istius obscurissimi fuisse titulum. Tum legendum esse apud Spartianum: Τῶν κατὰ Κάνας libros obscurissimos, Antimachum imitando scripsit. Ita vero τὰ κατὰ Κάνας, res esse ad Cannas gestas, vt itaque memorabilem illam cannensem cladem romanorum, versibus descripserit Hadrianus, exemplo Antimachi, qui bellum thebanum composuerat.

Sed quid opus est complures criticorum de hoc loco coniecturas, seu suauius potius somnia recensere, quae singula ex reliquis Hadriani consiliis, institutis rebusque quae molitus est aut peregit, nihil firma-

^d Gyraldus de poetarum historia, Tom. II. Opp. p. 275.

^e Casaubonus in notis ad Spartianum. l. c. p. 153.

menti aut verosimilitudinis accipiunt, atque eadem facilitate negantur, qua ab aliis sunt prolata. Desperarunt itaque cum **EGNATIO** plerique de probabili catacrianorum librorum explicatione, neque in ea ingenii vires periclitari sustinuerunt. Verum enim vero non omnem esse abiiciendam arbitror spem, de vocis, aut istorum voluminum sensu eruendo. Ego in aliquam incidi suspicionem, quam vnus alterue interpretum iam leuiter attigit, sed quae ex his, quae de Hadriano prodidere scriptores, insignem accipit speciem. In hanc scilicet ingredior opinionem, libros catacrianos fuisse poema graecum de vrbis Troiae excidio. Venit etiam **SALMASIO** in mentem, in notis ad Spartianum l. c., sed cum istud catacannas ei magis esset ad palatum, hanc statim abiecit. Fecit eam deinceps suam **VLRICVS OBRECHTVS** atque reliquis omnibus praetulit.^f Ita vero iudicando rem acutetigisse doctissimum virum, eamque sententiam, ex aliis quae de Hadriano relata legimus, insigne robur & praesidium acquirere, prorsus existimo. Afferam vt hoc planum reddatur, ex praestantissimis auctoribus nonnulla, atque sic quidem rationes subduco.

f) Obrechtus in notis, quas Scriptor. hist. Augustae Argentor. 1677. editis subiunxit, p. 12.

Hadrianus vt in doctissimis Imperatorum merito habetur, ita paradoxarum opinionum erat studiosissimus. **CICERONI**, quem omnes probabant, **CANTONEM**, **VIRGILIO** poetarum latinorum praestantissimo, **ENNIVM**, & **SALLVSTIO**, qui omnibus in deliciis erat, **COELIVM** praeferebat.^g Tam inique etiam cum **HOMERO** vatum principe egit, eo **ANTIMACHVM** longe esse venustiore censens, huncque loco **HOMERI** prorsus abolendi, in scholis praelegi cupiens atque praecipiens.^h

Fuit

g) Spartianus l. c. p. 158.
h) Dio Cassius Histor. rom. L. LXIX p. 790. edit. hanou. 1606. Suidas voce *Antimachos*.

Fuit hic **ANTIMACHVS** colophonius, poeta atque grammaticus graecus, quem ante Platonem vixisse confirmat **SVIDAS**,ⁱ quod tamen non ita accipiendum, quasi Plato post mortem Antimachi demum natus sit; vidit enim & audiuit hunc senem. Plura peperit ingenii sui monumenta, in quibus principem locum tenet Thebais, ingens opus, in quo adeo verbosus fuisse traditur, vt ante, quam septem duces circa thebana moenia induceret, viginti & quatuor libros scripserit.^k Cuius operis **APOLLONIVS GRAMMATICVS**, **ATHENAEVS**, **PRISCIANVS**, **TZETZES** ad **LYCOPHRONEM**, **STEPHANVS BYZANTIUS**, & **PAVSANIAS** mentionem faciunt, **IACOBVS NICOLAUS LOENSIS** vero, verus ex eo reliquos collegit^l ostenditque, **STATIVM** hunc poetam lectitasse & imitatum esse. (B)

ⁱ) Suidas voce **Αντιμαχος**.

^k) Gyraldus l. c. p. 142.

^l) Loensmi-
scellaneorum
Epiphiliidum
Lib. II. c. 7.

Hic itaque est **ANTIMACHVS**, quem Homeri loco in scholas introducere gestiebat Hadrianus. Cum vero omnibus in manu & deliciis esset Homerus, eiusque potissimum Ilias assidue euolueretur, opera ab imperatore danda erat, vt illa in contemptum & tandem in obliuionem adduceretur. Id vt obtineret, maxime opportunum fore arbitrabatur, si ipse de excidio troiano graecum poema adornaret, in eoque superaret

^β) vid. Küst-
ri notas in
Suidam voce
Αντιμαχος.

Ho-

^γ) vid. Euse-
bii praepa-
rat. Euangel.
L. X. c. 2.
^δ) Porphyri-
us vita Ploti-
ni c. 7.
^ε) Suidas in
voce **Λογγίβος**.

(B) Scriptis & alia, cumprimis poema in funere Lydae, quam impatientissime dilexit, ab huius nomine **Λοδη** inscriptum. (β) Multa eum suffuratum esse in suis poematibus Homero, antiquorum de eo fuit iudicium. (γ) Emendauit eius opera Zothicus, homo criticus & poeticus, teste **PORPHYRIO** in vita Plo-

tini: (δ) atque **LONGINVS** voces Antimachi & Heracleonis peculiari scripto persecutus est. (ε) Sed parum valuit horum diligentia contra tempus rerum edax, quod Antimachi carmina ita absumsit, vt e vasto Thebaidos opere vix decem supersint versiculi.

Homerum, quod non solum ut iste Troiae obsidionem caneret, sed & urbis expugnationem incendiumque exprimeret. Cum itaque Iliada post Homerum cantaret, ad Antimachi modum, quo is in Thebaide usus erat, se composuit, siue ut SPARTIANI utar verbis, libros obscurissimos, Antimachum imitando scripsit. In quo itaque poetam imitatus est imperator, similitudine argumenti, an dictionis obscuritate? Fortassis in utroque ad eius se morem composuit. Nam etsi Antimachus non adeo magnae erat existimationis & celebratis, quin etiam plerisque ne nomine quidem antea cognitus, ἔτι μὴδὲ τὸ ὄνομα πολλοὶ πρότερον ἐπίσαντο, ut DIO haberet, tamen Imperator ubique paradoxo confectans, eum super omnes efferre, suae auctoritate implexum eius & tenebricosum scribendi genus literarum cultoribus commendare studebat. (C)

Sed

m) Dio Cas-
sius l.c. p. 790.
ç) Cicero in
Bruto, c. 51.
η) vid. If.
Vossii notas
in Catullum
p. 323.

θ) vid. Sal-
masius in no-
tis ad Scripto-
res Histor.
Augustae.

p. 154.

ε) Quintilia-
nus Institut.
orator. L. X.
c. 1.

κ) Plutar-
chus in Ti-
moleonte
Opp. T. I.
p. 243.

λ) Dionysius
halicarn. πρῶ-
τον σ. 22.
σ. 22.

μ) Catullus
ex recens. If.
Vossii, p. 320.

ν) Plutarchus
in Lyfandro
opp. T. I.
p. 443.

(C) Non vna fuit eademque ve-
terum de Antimacho sententia. Pla-
to eius admiratus est ingenium, cu-
ius rei id esse potest documentum,
quod, cum Antimachum, magnum
opus Thebaidos praegentem, omnes
reliquissent, ille solus ei operam de-
derit, quare & dixisse fertur poeta:
legam nihilominus, Plato enim mihi
vnus est instar omnium. (ç) Atqui
hic ipse Plato illum non tantum Choer-
ilo sed & aliis praeposuit poetis, &
amico suo Heraclidi pontico, ad con-
quirenda Antimachi scripta Colophonem
adire persuasit. (η) Antipater
thessalonicensis epigramma in Anti-
machum composuit venustissimum, a
SALMASIO primo vulgatum, quo
eum Homero proximum iudicat. (θ)
Id fere Grammaticorum consensu fa-

ctum memorat QUINTILIA-
NVS, atque in Antimacho vim &
grauitatem & minime vulgare elo-
quendi genus laudem habere testa-
tur. (ι) Alii contra abiectissime de
eo sentiunt. In his est PLYTAR-
CHVS, qui ei molestum sermonem
multaque cura & sudore extor-
tum tribuit. (κ) DIONYSIVS
HALICARNAS. inter hos cum
refert, qui austerâ compositione vsi
sunt. (λ) CATVLLVS tumi-
dum eum vocat, quo plebs delecte-
tur. (μ)

At populus tumido gaudeat Anti-
macho.

Et ille ipse, qui tam bene de eo sen-
tire iam videbatur QUINTILIA-
NVS, id subiungit: affectibus &
iucunditate & dispositione & omnino
arte

Sed quaeso num confidere poterat, fore vt romani, abiectis Homeri voluminibus, qui ad huc in scholis regnabat, eius de Ilio poëma, ad modum Antimachi conflatum legerent, & in deliciis haberent? Poterat, vt mihi quidem videtur quodammodo. Primo enim cum ipse omni doctrina liberali politicissimus esset, & vix quicquam in literis ignoraret, a tam excellentis doctrinae imperatore non nisi praeclara posse proficisci, ciues eius merito sibi persuadebant. (D) Plures etiam plaudentibus romanis iam

ex.

arte deficitur. Nostrium non est de eo iudicium ferre, quibus temporum faucitia, si pauca e naufragio tabulas exceperis, nihil Antimachi scriptorum reliquit. Si iniuria ab his quos excitauimus, Antimacho facta esset, id manibus eius pro solatio esse posset, non tam bene cum mortalibus agi, vt meliora pluribus placeant; quo argumento Plato eius olim moerore leuauit cogitareque iussit, ignorantium id esse vitium, vt ob coecitatem & incertitiam meliora minus intelligant. (v)

(D) Ea fuit Hadrianus eruditione, quae fere nimia in principe videri posset, vnde D I O de eo: (ξ) Καὶ ἄλλα πάντα, καὶ τὰ βραχύτατα ἐπετίθει, καὶ γὰρ ἑκλάσσει, καὶ ἔγραφε, καὶ ἀδὲν ὄ, τι ἂ καὶ ἑρμηνεύων καὶ πολιτικῶν καὶ βασιλικῶν καὶ ἰδιωτικῶν εἰδήσας ἔλεγε. Omnibus etiam minutissimis operam dedit. Nam & fingebat, & pingebat, & nullum erat studium, vel ad pacem vel ad bellum, vel ad regem vel priuatum

spectans, quod non scire se profiteretur. Non solum iis artibus, quae imperatorem apprime ornant, sed & aliis, quibus carere sine incommodo posset, operam dedit. Arithmeticae enim, Geometriae, omnisque Mathematicos fuit peritissimus. (o) Medendi scientia inclaruisse, s. A. VICTOR auctor est. (π) Quin etiam in mechanicis aliisque artibus egregius fuit. Nam & statuas fecit, & tabulas pinxit, musicus fuit, canendi psallendique arte eximius. (ρ) Profuit ei ad hoc eruditionis fastigium, ingens memoriae felicitas, qua libros semel lectos & plurimis ignotos, memoria reddere valuit. Tam magno etiam & excellenti praeditus fuit ingenio, vt vno tempore scribere, dictare, audire, & cum amicis fabulari posset. (σ) Ea vero, quae animo complexus erat, tam habebat explorata, vt confictus etiam philosophorum & sophistarum non reformidaret, sed saepissime cum his in arenam descenderet, voce nonnunquam, nonnunquam scriptis cum eis disputans. (τ)

v) Plutarchus in Lyfandro. Opp. T. I. p. 443.
ξ) Dio Cassius histor. romanar. p. 789.
o) Spartianus l. c. p. 44, 158.
π) vid. Victoris Epitomen c. 14. & Arntzenii ad hoc cap. notas.
ρ) vid. Dio Cassius l. c. p. 789. Victor. l. c. p. 512.
σ) Spartian. p. 144.
σ) Spartianus l. c. p. 88.
τ) Spartianus l. c. p. 159, 159, 182.

B

GR. 1

excluserat felicissimi ingenii foetus, neque erat, cur nouo operi successum minus felicem auguraretur. (E) Deinde multum imo plurimum studii operaeque in graecae potissimum poëseos exercitio posuerat, & haud pauca linguae huius versibus scripserat luculenter: quare spes affulgebat, fore vt hoc etiam carmen, quo obscuranda erat Homeri gloria, ad legem poëseos Hellenum, exemplo Antimachi, ab exercitato in hac palaestra principe summo cum studio elaboratum, omnium stomachi esset. (F) Praeterea imperator de se

v) Spartianus l. c. p. 148.

φ) Dio l. c. p. 788.

κ) Spartianus p. 150.

ψ) Bayle Dictionnaire vocale Hadrien not. O.

ω) Salmastius in notis ad Spartian. p. 83.

ω) vid. Bayle l. c.

β) Photius Biblioth. p. 276. Gellius Noct. attic. L. 16. c. 13.

γ) Tillemont Histoire des Empereurs Tom. II. Part. II. p. 443.

δ) vid. Spartianus l. c. p. 11. S. A. Victor. l. c. cap. XIV. p. 312. edit. Arnenii Amstel. 1733.

ε) Spartian. p. 145.

ς) Apuleius in apologia, Opp. p. 280. edit. Elmenborfianae.

(E) Oratione & versu promissimum fuisse, SPARTIANVS (v) asserit; nonnullos libros soluta oratione, & complures versibus reliquisse DIO (φ) tradit. Eminent inter hos, quos prosa oratione composuit, commentarii de sua ipsius vita, a PHLEGONTE, imperatoris iussu suo nomine publicati, (κ) quod ideo factum existimat BAYLIUS, vt Hadrianus pseudonymus eo liberius in suam ipsius laudem excurrere possit. (ψ) Scripsisse etiam τὰ κτῆνῶν dicitur, quae si SALMASTIO credimus, (ω) post longum temporis interuallum, cum diu latuissent, sub Anastasio tandem emerferunt, opera Urbicii viri consularis, qui multa ipse addidisse Tacitis Hadriani, & vetera praefcorum ducum inuenta ad tacitum pertinentia, quae continebantur illo Hadriani libro, nouis & aetate sua demum repertis auxisse videtur. Sed num Hadrianus peculiare opus τὰ κτῆνῶν scripserit, aut tantum constitutiones militares promulgauerit, nondum satis liquet. (ω) PHOTIUS atque GELLIUS

orationum Hadriani sibi lectarum mentionem iniiciunt. (β) Sed nullum horum scriptorum aetatem tulit, desideranturque hodie ea volumina, quae si extarent, praestantissimi imperatoris monumentum essent aere perennius. Quorum interest plura nosse, TILLEMONTIVM adhaerent, qui ex inscripto de scriptis Hadriani commentatur. (γ)

(F) Graecorum literis & poësi adeo est delectatus, eisque tam assidue deditus, vt inde a nonnullis Graeculus diceretur. (δ) Inter opera hoc idiomate ab eo metrica condita, potissimum celebrabantur olim Alexandreidos libri, quorum primum citat STEPHANVS in Ἀσπονῶν, septimum in Σωωνῶν; essi fuerint, qui putarunt, alium quendam Hadrianum, non imperatorem horum extitisse auctorem. (ε) Versus anatorios subinde pepigit quorum se quam plurimos legisse meminit APVLEIUS. (ς) Ex his eius poematibus quaedam tenues profant reliquiae, graece quidem in Anthologia,

se suaque doctrina & in artibus quibuscunque ἐξοχῆν tam praeclare sentiebat ipse, vt neminem sibi anteferri, neminem putari parem pateretur. Et cum in hos seuere animaduerneret, qui hanc ei gloriam vel dubiam reddere velle videbantur, neminem fore existimabat, qui palmam ei prae Homero non sit delaturus. (G) A dignitatis denique quod tenebat fastigio, multum commendationis suum poemā accepturum, sperare, & cum opinionibus regatur mundus, augurari haud vanus poterat, plerosque sensuros esse, quod potentissimus isque doctissimus princeps condidisset, longe dignius esse, quod omnium manibus teratur & iuuentuti praelegatur carmen, eo, quod miser, inops & coecus quondam pepigisset graeculus.

Haec vero cuncta etsi fortassis aliqua specie non carent, illud tamen plerosque sollicitos habere intelligo, cur isti imperatoris libri, dicti sint catacriani, & quae huic nomini subiecta potestas? His responsum velim, hanc vocem nostram coniecturam egre-

B 2 gie

thologia, & latine in Catalectis veterum poetarum, in appendice Virgilii, quae debetur IOH. SCALIGERO, atque in Epigrammatibus veterum a P. PITHAEO editis. SPARTIANO, quos suis commentariis inseruit, nonnulli Hadriani vericuli parum videntur elegantes, nec multo meliores eum fecisse graecos arbitratur. Sed longe aliter statuit CASAVBONVS, qui suam eis venustatem contra iniquam SPARTIANI censuram vindicat, (η) cui sententiae etiam G. I. VOSSIVS fauet. (θ)

(G) Etsi insignis fuit Hadriani in literatos homines munificentia, qua omnes professores honoravit & diuites fecit, (ι) aemulos tamen ferre non potuit, sed professores omnium artium, semper vt doctior risit, contempsit, obtriuuit. (κ) Quin etiam in hos, qui de palma secum contendere videbantur, adeo exarsit, vt eos nunquam supplicio afficeret. Hinc DIO: Τῶν ἐν τινὶ προεχόντων πολλὰς μὲν κατὰλε, συγχωρὸς δὲ ἀπώλεσε, βελόμενος πάντων ἐν πᾶσι περιμένον, (λ) severitatisque & inuidiae huius in eos, qui primas eidem non lubenter deferebant, aliquot affert specimina.

η) Casaubonus in notis ad Spartian. p. 210.

θ) Vossius de poetis latinis, Opp. T. III. p. 246.

ι) Spartian. p. 159.

κ) ibid. p. 149.

λ) Dio l. c. p. 789.

gie confirmare, tantum abest, ut eam labefactet. Scilicet vox catacriani est perplexabile vocabulum, inanis & sine sensu sonus, nomen nihil significans; quod dudum perspexere, de eius explicatione desperare, & scribarum incuria hoc vocabulum esse corruptum, aliudque in eius locum debere substitui, odorati sunt perspicacissimi criticorum. Quae est itaque vox, quam olim adhibuit SPARTIANVS, quamque descriptores negligentes deformarunt? Illam ipsam suppeditant nonnulli codices antiqui, nostraeque eo sententiae non leue praesidium afferunt. Nimirum regiae membranae, PVTEANI codices atque editio vetus, praefereunt *catacimos* seu *catacaymos* pro catacrianos, quod CASAVBONVS & SALMASIVS in suis ad Spartianum notis, testes ἀνόπτου probant. Haec vox tota est graeca, legendumque in Spartiano *κατακαυμὸς*, id est, incendia, seu libros, de incendio scripsit Hadrianus, Antimachum imitando. Sed de quo incendio commentatus est imperator? Multifariam exponi posse hunc titulum, probe intellexit CASAVBONVS,ⁿ⁾ vel quod orbis terrarum incendium, quod Phaëthontis temeritate accidit, eo tempore descripsisset, vel quod Heracliti & quorundam aliorum philosophorum sententiam de futura conflagratione, qua totum mundum perituum pronuntiabant, iis libris tractasset, quorum utrumque argumentum obscuritatis sit capicissimum. Sed ut, quid sentiam, ingenue profitear, neutram harum coniecturarum iuvant historiae monumenta, neque ex his quae de Hadriano tradunt, vel leuissima suspitione colligi potest, aut de

n) Casaubonus in notis ad Spartianum p. 153.

de phaëthonteo aut de heracliteo incendio scribendi consilium cepisse imperatorem. Propius ad metam accessit S A L M A S I V S, ° qui de incendio troiano commentatum esse principem coniecit, sed cum sibi istud *catacrjanas* magis probaretur, coniecturam statim iterum abiecit. Mihi vero haec ipsa opinio omnium maxime videtur probabilis, ideo potissimum, quoniam ea quae ex Hadriani vita adduxi, eidem admodum sunt consentanea, nosque ad eam amplectendam inuitant & quasi compellunt.

o) Salmastius
in notis ad
Spartian.
p. 152.

Haec igitur est eorum quae hactenus copiosius differui summa: Hadrianus Imperator, maximi faciebat Antimachum, Homero ipsi eum praeferebat, eiusque libros loco homericorum legi volebat. Id ut consequeretur, esse princeps Homeri opus de troiano bello tollendum e manibus litteratorum videbat. Itaque ipse graecum adornabat poema, quo non solum urbis obsidionem sed & excidium eius atque incendium canebatur, idque incendium *κατακρυβόν*, scilicet Ilii inscribebat, librique ipsi *catacrjani*, incendia siue libri de incendiis troianis vocabantur. Vt ad Antimachi modum hoc opus composuerat totum, ita romanis, vatis huius scribendi genus, etsi esset obscurum, magis magisque commendare, suaeque vena & auctoritate confusus, efficere studebat, ut Antimachus assidue lectitaretur, Homerus vero negligenteretur. (H)

B 3

Sed

(H) CLAVDIUS NICASIVS quem sophista Polemon cudi curavit, in cuius aversa parte Homerum

Sed quaecunque de Hadriani libris catacrianis disputauit, non nisi coniecturarum loco haberi cupio, quae quantum a certa & indubia veritate absint, optime ipse intelligo. Verum dantur huius generis in humanioribus literis quam plura. Quod hoc consilio moneo, non ut earum cultores, laboris molestia territos, ab his studiis auocem, sed potius ut eosdem ad soluendos feliciter, qui restant, nodos gordios excitem, eosque illud *καλεπὰ τὰ καλὰ* assidue cogitare iubeam. Sunt enim istis etiam difficultatibus suae veneres, certaue eos manent praemia & emolumenta, qui in musarum castris fortiter egerunt. Ad ea his, qui merentur, distribuenda, ut pronus est ordo noster, ita impraesentiarum egregios aliquot iuuenes, quorum in philosophiae & bonarum literarum studiis profectus, solenni examine exploratos habemus, publico nauatae operae & paratae doctrinae testimonio ex merito condecorare

con-

rum sedentem cum hasta exhibet: atque ex eo coniciendum esse existimat, non ita ut creditum est, aduersatum fuisse Homero Hadrianum, utpote qui eius loco Antimachum poetam introducere voluerit, si enim hac de re omnino persuasus fuisset Polemon, male & perperam imperatori ablanditum fuisse. (μ) Sed non intelligo, quomodo hic nummus, luculenta DIONIS CASSII & SVIDAE testimonia de Hadriani in Homerum inuidia odioque infirmare queat. Facillimum est non vnam

comminisci rationem, cur Homerus in vno eodemque nummo cum Hadriano adumbretur, quia nihil huic inscriptum est praeter verba ΠΟΛΕΜΟΝ ΣΜΥΡΝΑΙΟΙΣ ΑΝΕΘΗΚΕ. Fortassis Polemon hos qui Smyrnam vni omnium maxime ornauerant, simul effingere eosque Smyrnaeis commendare voluit; quod Homerus nascendi forte, & Hadrianus aedificandi solertia putabantur egisse. Et quid responsurus fuisset NICASIVS, si quis obieccisset, nondum satis constare, an figura fenis in nummo expressa, sit Homeri?

μ) Nicasius de nummo pantheo Hadriani Imp. p. 25, 26.

constituit, ordine quo quemque suo tempore sacris academicis initiaimus, ita dispositos.

GEORGIUS ZACHARIAS WINCKLER
LIPSIENSIS.

CAROLVS GOTTFRIED WINCKLER
LIPSIENSIS.

HIERONYMVS GEORG. GLOECKNER
FREIBERGENSIS.

IOHANNES GOTTFRIED STRAVSS
MARTISBURGENSIS.

GOTTLIEB LEBRECHT NIEDNER
THALHEIMENS. MISN.

CHRISTOPHORVS IEREMIAS ROST
GRIMMENSIS.

CAROLVS FERDINAND HOMMEL
LIPSIENSIS.

IOHANNES HEINRICVS PARREIDT
DELITIENSIS.

IOH. CHRISTIANVS MESSERSCHMID
LEVCOPETRENSIS.

GEORGIUS GOTTLIEB SIEGEL
LIPSIENSIS.

IOHANNES CHRISTIANVS LEO
LEVCOPETRENSIS.

AHASVERVS IOHANNES BIEL
BLANCKENBURGO-THVRINGVS.

CONRADVS ARNOLD SCHMID
LÜNEBURGENSIS-SAXO,

His



XVI *De Hadriani Imperat. Libris catacrianis.*

His, quod felix faustumque esse iubeat Deus
T. O. M. futuro die Decembris xxiii. primam in
philosophia lauream, quam ante tempus aliquod de-
centi petierunt modestia, decreuimus. Cui panegyri
vt **ILLVSTRISSIMI COMITES AC VTRI-
VSQVE REIPUBLICAE PROCERES ET CI-
VES** interesse dignentur, qua par est obseruantia ro-
gamus. P. P. Lipsiae Dominica III Aduentus.
A. R. S. clbcccxli.

EX OFFICINA BREITKOPFIANA.



ULB Halle
003 850 080

3



Sb.







Fol VI. n. 24.

DE
HADRIANI IMPERAT.
LIBRIS CATACRIANIS
DISSERIT

1741,7

A T Q V E
A D

PANEGYRIN
BACCALAVREORVM

A D
DIEM XXIII DEC. A. R. S. MDCCXLI

IN ACROATERIO
PHILOSOPHORVM

HORA IX CELEBRANDAM
INVITAT

CHRIST. GOTTLIEB IOECHER
ACADEMIAE H. T. RECTOR

ET
ORDINIS PHILOSOPHICI
EXDECANVS,

GR. 17.

